



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Vtrum ad creandum requiratur infinita vis agendi, & ideo ita sit Dei
propria, vt creaturæ communicari non possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

animam nam subdit in illa esse singulare, quod maneat posterius, id est, post dissolutum compositum, in inceptione autem, eo quod simul cum composito incipiat, nullam admittit exceptionem. Hæc igitur pars verisimilior est, quamquam negari non possit Aristoteli exiguum de hac recognitionem habuisse, id est, eo quod per pauca de hac efficientia tractasse, quamvis 9. Metaph. c. 1. satis insinuauerit agnouisse se potentiam actiuam, quæ non indiget motu, vel mutatione ad agendum.

Ad secundum argumentum satis probatum est contraria inductione, quomodo demonstratur aliqua esse entia, quæ non nisi per creationem fieri possunt, quod nobis præsertim constat de materialibus rebus. De immaterialibus vero solum ex hypothesi probamus, si quæ sunt extra Deum, non nisi per creationem fieri posse, neque etiam esse posse, si non fiat. An vero probetur ratione naturali dari huiusmodi substantias præter Deum, de animabus quidem rationalibus id supponimus ex scientia de anima, de aliis vero infra videbimus, nam ad præsens non refert.

Ad tertium de maiori propositione, scilicet, quod ad creandum requiratur virtus infinita, dicturi sumus. In sequenti, nunc solum dicimus, ex aliis mediis sufficienter probari, & creationem esse, & dari in rebus potentiam, quæ sit sufficiens principium illius, siue illa infinita esse debeat, siue finita sufficiat. Vnde, si aliunde satis probetur requiri ad creandum potentiam infinitam, ex necessitate creationis sufficienter concludetur dari in rebus potentiam infinitam. Neque erit petitio principii, aut vitiosus circulus, quia vel non probamus creationem esse possibilem ex infinitate illius potentie, sed quia aliunde colligimus necessitatem eius, & non repugnantiam, tum illius, tum etiam potentie, quæ sit principium eius, abstrahendo ab eo quod finita, vel infinita sit, vel si ex infinitate potentie concludamus creationem esse possibilem, sumimus ipsam potentiam infinitam, vt demonstratam ex infinitate essentie & perfectionis diuinæ, quam ex aliis principiis colligimus, vt infra videbimus.

Ad quartum respondeo, propositionem illam, *per creationem fieri ens in quantum ens*, multiplicem sensum habere posse: vnus est, si illud in quantum reducatue sumatur, & cadat in rationem entis abstractissimam, & communem Deo ac creaturis. Et hic sensus est falsus: nam significatur per illum, ens ex vi illius præfixæ rationis esse terminum creationis, quod falsum est. Et hunc sensum supponit quartum illud argumentum, eumque sufficienter impugnat: nihil tamen obstat veritati creationis, quia illa propositio in eo sensu non sequitur ex definitione creationis, vt patet. Nam si fiat ens reduplicando tantum rationem entis finiti seu factibilis, id satis erit ad rationem creationis, nam sufficit, vt res fiat omnino ex nihilo. Atque hic esse potest alter sensus illius locutionis, qui verus est, & ex eo solum sequitur, omne ens finitum esse creabile. Quod etiam est verum. Vltimus autem & proprius sensus est, vt illud in quantum specificatiue tantum sumatur. Et hoc modo est verissima propositio, quia per creationem per se primo fit res secundum totam rationem entis, eo quod creatio nullam rationem entis in ea supponat. Nam iuxta doctrinam Aristotelis illud dicitur per se primo fieri, quod nullo modo supponitur in re quæ fit: fieri ergo ens in quantum ens, nihil aliud est, quam quod ipsa ratio entis per se primo fiat in tali effectu per talem rationem. Ex hoc autem sensu non sequitur, omne ens secundum rationem entis, quam in se habet, posse terminare creationem: quia, vt ex Dialectica constat, particula in quantum, specificatiue sumpta non infert vniuersalem sensum seu distributiuum, quia non denotat ad æquatam rationem, seu causam prædicati, sed solum designat partem vel rationem

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

secundum quam conuenit. Recte tamen infertur ex illo sensu, ipsam rationem entis vt sic non reperiri vniuerso in entibus, quæ terminare possunt creationem, & in ente increato, vt dicemus infra hanc diuisionem declarando.

Ad vltimam probationem sumptam ex eo, quod esse essentie rerum supponatur creationi earum, qui existimant esse essentie secundum se esse aliquid æternum, dicerent fortasse creationem esse ex nihilo existentie, non vero essentie. At vero VVicleph dixit creationem non esse productionem ex nihilo simpliciter, sed ex esse intelligibili ad esse extra Deum, vt refert VValdenfis, tom. 1. lib. 1. cap. 17. Scotus item in 2. d. 1. quæstione 2. ait creationem esse productionem ex nihilo, id est, non de aliquo secundum esse existentie, nec secundum esse essentie, non tamen ex nihilo, id est, de nullo modo ente, nec simpliciter, nec secundum quid: supponit vero res habere esse cognitum prius quam fiant. Veritas autem est, esse essentie creaturæ, aut esse cognitum seu intelligibile, antequam creaturæ fiant, nihil reale esse extra Deum, vt dicemus latè infra, in disputat. de essentie & existentia creaturæ. Quapropter illud esse nihil obstat, quo minus per creationem fiat creatura ex nihilo, & in quantum ens.

XXX.

SECTIO II.

Virum ad creandum requiratur infinita vis agendi, & ideo ita sit Dei propria, vt creatura communicari non possit.



On defuerunt Philosophi, qui non solum de possibili, sed etiam de facto dicerent potentiam creandi communicatam esse creaturis, & angelum superiorem creasse inferiorem sibi proximum, & infimum creasse res corporeas. Quod opinatus est Auicenna, cuius opinionem supra tetigimus tractando de educatione formarum: & iterum occurret infra tractando de virtute actiua intelligentiarum creaturarum. Verà tamen accerta doctrina docet de facto nullam creaturam aliquam creasse, solum enim Deum omnium creatorem vera fides agnoscit, & Sancti omnes docent, præsertim D. August. 12. de Ciuit. c. 24. Tertull. lib. de præscript. hæretic. Damaſcen. lib. 2. cap. 3. & Cyrill. Alex. lib. 2. contra Iulian. sub finem. Ac tandem definitum est in c. Firmiter, de sum. Trinit. & fide Cathol.

I.

CREATURA
NISI
VNI
VERS
ALEM
CREA
TURA

Ex hoc autem certo principio eadem fere certitudine colligitur, nullam creaturam de facto habere potestatem creandi, quia non est verisimile dedisse Deum alicui creaturæ hanc potestatem, & non concedere seu permittere illi vsum eius: nam ad Dei prouidentiam spectat, vt finat creaturas proprios motus seu actiones operari: & quia alias frustra, esset talis potentia in rerum naturâ. Item, quia quod à nulla naturali causa vnquam factum est, merito censetur impossibile per naturales causas. Atque ita & Patres, & Theologi omnes eodem modo, & sub eadem certitudine negant creaturam habere naturalem vim creandi, qua negant vnam creaturam creasse aliam.

II.

Quamuis autem hæc sint nobis certa ex reuelatione, inquirimus (quod præsentis muneris est proprium) an possint ratione naturali persuaderi, & convinci, quod omnino pendere censemus ex quæstione proposita, nam si probauerimus potestatem creandi ob infinitam perfectionem quam requirit, esse incommunicabilem creaturæ, demonstratum relinquetur id, quod de facto fides docet. Si autem potentia creandi non includit essentialiter illam infinitatem, & ideo non repugnat communicari creaturæ,

III.

non poterit ratione probari non esse de facto communicatam, tam potentiam quam actum eius: pendebit enim ex libera Dei voluntate, cuius decretum si ex effectibus non manifestatur, per solam revelationem potest nobis innotescere.

*Ratio dubitandi ponitur, & sensus quaestio-
nis aperitur.*

IV. **R**atio ergo difficultatis in presenti quaestione est, quia nulla est hactenus inuenta sufficiens ratio, nedum demonstratio, quae persuadeat requiri ad creandum virtutem simpliciter infinitam. Loquor autem de virtute principali, quae sua vi potest effectum producere: nam de virtute instrumentalium ex professo disputare, eo quod res mere Theologica sit. Virtus autem principalis creandi, variis modis intelligi potest: primo, ut sit in illo ordine vniuersalis seu adaequata obiecto creabili: & de hac euidentissimum est, non posse communicari creaturæ. Neque hoc est (quod ego sciam) ab ullo auctore in dubium reuocatum. Et ratio est clara, quia talis potentia habet obiectum infinite perfectum syncategorematicè: nam in illa latitudine obiecti, nullum potest signari tantæ perfectionis, quin aliud maioris perfectionis creari possit, & ita in infinitum: ergo in potentia, quæ sua virtute continet totum illud obiectum requiritur virtus, & perfectio simpliciter infinita: quia neque actu finita sufficere potest, alias posset æquari & superari ab aliqua parte obiecti sui, neque potest virtus illa esse infinita syncategorematicè, quia simul & actu habet existentem totam suam virtutem, & perfectionem. Neque etiam satis erit, quod sit infinita secundum quid, seu in aliquo ordine entium, nam in primis huiusmodi infinitum, est simpliciter & actu finitum, & præterea latitudo obiecti non clauditur sub aliquo genere vel ordine rerum, sed absolute complectitur totam latitudinem entis creabilis: ergo potentia, qua totum illud continet & superat, non potest esse secundum quid tantum infinita, sed simpliciter, & in tota entis latitudine.

V. Secunda ratio adhiberi potest, quia impossibile est potentiam aliquam productiuam seipsam claudere sub obiecto suo adaequato: quia impossibile est aliquid posse creare seipsum: sed omnis creatura continetur sub ente creabili, ut per se notum est: ergo non potest habere pro obiecto adaequato suæ potentie ens creabile ut hic: alias seipsam clauderet sub obiecto suo. Et hac ratione nulla res generalis potest habere talem potentiam generandi, quæ pro obiecto adaequato habet ens generabile. Neque aliquod indiuiduum potest habere potentiam, cuius adaequatum obiectum sit ipsa species. His ergo rationibus satis demonstratur potentiam creandi hoc modo esse infinitam, & Dei propriam, ac incommunicabilem creaturis.

VI. Alio item modo potest intelligi potentia creandi, quæ vim habeat se sola, & absque dependentia vel cōcursu alterius aliquid ex nihilo producere. Et hoc etiam modo existimo satis probari posse, talem potentiam non modo, ut se extendit ad omne creabile, sed etiam ut determinata ad creandum quodlibet ens, esse infinitam & incommunicabilem creaturæ, de qua re acturi sumus infra disp. 22. Nam quoad hoc eadem ratio est de potentia creandi, & de quacunque facultate creata ad agendum ex præsupposito subiecto: quia nulla esse potest independens in agendo à prima causa, talisque independentia infinitam requirit perfectionem, ut ibi videbimus.

VII. Tercio igitur modo intelligi potest virtus creandi solum per modum causæ principalis proximæ, dependentis in agendo à prima causa, & limitatæ ad certum ordinem vel speciem rerum creandarum, ut ad creanda corpora, vel has species Angelorum, vel

aliquid simile. Et de hac potentia non apparet ratio sufficiens, cur requiratur perfectio simpliciter infinita, aut cur non possit communicari creaturæ, quia neque ex parte obiecti habet infinitatem, cum ponatur limitata ad obiectum finitæ perfectionis, etiam neque ex modo agendi, cum ponatur dependens à cōcursu alterius.

Nec satisficit, quod multi aiunt, ex modo agendi colligi infinitatem, non ob independentiam actionis à superiori causa agente, sed ob independentiam actionis à causa materiali. Nimirum, quia reducere aliquid de potentia in actum requirit aliquam virtutem: & quo illa potentia magis est elongata ab actu, eo maior virtus requiritur in agente: ergo quod ita est elongatum ab actu, ut in nulla potentia passiva contineatur, requirit infinitam potentiam in agente, ut fieri possit. Hæc (inquam) ratio non satisficit, primo quidem, quia independentia actionis à subiecto non videtur esse tanti momenti, nec tantā indicare perfectionem, ut requiratur in agente virtutem infinitam simpliciter, cur etenim? Nam cōcursus materię quid finitum est: cur ergo suppleri non poterit per virtutem agentis superioris ordinis & perfectioris, esto infinita non sit? Deinde, quia illa gradatio, vel proportionalis supputatio non est formalis, tum quia ad summum infer vim agendi superioris ordinis, quam sit omnis potentia dehnita ad agendum ex potentia passiva, siue propinqua, siue remota, seu magis aut minus elongata ab actu: tum etiam, quia ille progressus intelligi debet respectu eiusdem, & cæteris paribus, nam fieri potest, ut ad producendam formam perfectiorem ex propinqua potentia requiratur maior perfectio, quam ad producendam infimam formam ex remota potentia. Sic igitur ad creandam rem infimam, verbi gratia, materiam primam, sufficere poterit finita potentia, distincta tamen in specie ab omni potentia generatiua.

Et augetur difficultas: nam virtus principalis ad agendum dupliciter potest creaturæ tribui. Primo, ut connaturalis & debita, vel manans à principis naturæ, ut est calor in igne: vel ut superaddita, vel indita naturæ, sicut est lumen gloriæ in beato. Quamuis ergo gratis demus virtutem connaturalem agentibus creatis non posse extendi ad creationem, propter dictam disproportionem, tamen de virtute superaddita naturæ nihil probat illa ratio, quia illa virtus esse potest supernaturalis, atque ita superioris ordinis, ac proinde sufficiens ad vincendam illam disproportionem. Ita enim respondent Theologi, cum simile sit argumentum, scilicet, ad videndum obiectum intelligibile mistum ex actu, & potentia, requiritur lumen intellectuale alicuius perfectionis, & quo plus tale obiectum habet de actu, & minus de potentia, eo perfectius requiritur lumen ad videndum illud: ergo si obiectum est purus actus nullam habens potentiam, requiritur infinitum lumen. Respondent (inquam) Theologi negando consequentiam, & asserendo satis esse lumen superioris ordinis. Cur ergo non possumus eodem modo respondere de potentia creandi?

Varia sententia.

Propter has ergo & similes causas nonnulli Theologi dicunt nulla sufficienter ratione ostendi repugnare simpliciter creaturæ potentiam creandi. Ita sentit plane Gabriel in 2. distinctione 1. quaestione 4. articulo 3. Nam licet simpliciter doceat creaturam non posse creare, quærens tamen huius rei rationem, respondet non posse reddi aliam, nisi quia hæc est conditio creaturæ quam à Deo recepit, cuius ordinem transgredi non potest. Quod vero creaturæ hanc conditionem operandi receperint, dicit solum constare experientia. Sed in primis hæc experientia

scientia ad summum habetur in agētibus, effectibusque materialibus, quomodo verò expertus est Gabriel Angelos nihil agere, nec egisse vnquam nisi ex patre? Quomodo item expertus est vnus hominē, dum alium generat, non attingere efficiendo animā ipsam? Deinde solum videtur fundari in conditione & ordine, quem de facto creatura recepit à Deo, vel ergo sentit potuisse Deum aliam conditionem, vel non satis quæstioni responderet. Eandē sententiā clarior tenet Durand. in 2. d. 1. q. 4. qui negat ad creandū requiri virtutem infinitam, ac subinde negat repugnare creaturæ efficere aliquid absque mutatione ex subiecto, & soluit rationes omnes, quæ solent ad id probandum adduci.

Nihilominus contraria sententia est communis Scholasticorum. Eam tenet Magister in 4. d. 5. & D. Tho. in p. q. 45. ar. 5. & sæpe alibi, & omnes eius sectatores, & Scotus quem sui etiam sequuntur in 4. d. 1. q. 1. Ocham in 2. q. 7. quamuis sentiat non posse satis demonstrari. Idem Quodlib. 2. q. 9. Henric. quodlib. 4. q. 37. & Aegid. quodlib. 5. q. 1.

Resolutio quæstionis.

Et mihi quidem posterior sententia verā & certā esse videtur, difficillimum tamen censeo cogentem demonstrationem ad illam confirmandam asserere. Cuius signum est, quia auctores qui in conclusionem consentiunt, in ratione reddenda summe dissentiunt: & singulæ aliorum rationes impugnant. Quocirca apud me illa est efficacissima ratio, quæ ex principio fidei sumitur: & ideo potius dixi mihi esse certam assertionem, quam euidentem: nam sicut ex eo quod creatura nihil vnquam creauit, recte ratio cinamur, nullam creaturam factam habere potentiam creandi: ita ex eo quod nulla creatura facta habet potentiam creandi, recte existimo colligi nullam creaturam factibilem esse capacem huius facultatis. Hanc consequentiam probo primo, quia si talis creatura esset possibilis, constitueret sane alium ordinem & gradum creaturæ præter eos qui nunc sunt, quia haberet distinctum & altiore operandi modum: ergo pertinuerit ad perfectionem vniuersi vt in eo esset talis creaturarum ordo seu gradus: ergo è conuerso, cum Deus cōdiderit vniuersum sine tali creatura, signum est illam non contineri in ordine creaturarum, neque esse possibilem: ideoque ad complēmentum vniuersi non pertinere. Quam rationem inferius locupletabimus, disp. 38. cum simili discursu ostendimus esse in vniuerso intelligentias creatas.

Secundo explicatur amplius eadem ratio, quia inter substantias creabiles nullus esse potest altior gradus, quam sit Angelorum, seu intellectualium rerum: inter accidentia verò, si vt Philosophi loquamur, nulla sunt meliora quam ea quæ his supremis substantiis connaturalia sunt. si vero loquamur vt Theologi, nulla possunt esse meliora quam ea, quæ pertinent ad ordinem gratiæ & visionis beatæ: si ergo in his supremis ordinibus rerum non inuenitur potentia creandi, in nulla creatura possibilis est. Nā quod in gradu Angelorum possint fieri alii perfectiores in specie, quam sint omnes facti, non est satis vt habeant modum operandi tam diuersi ordinis & rationis. & ideo Augustinus 3. de Trinitate capite octauo, pro comperto habet, si Angeli tam boni quam mali creare non possunt, nullam creaturam posse.

Ratio Scoti expenditur.

Tertio conatus est Scotus huius inductionis seu experientię, quam supponimus, rationem aliquam reddere, & ex illa causam colligere ob quam nulla creatura factibilis creatrix esse possit, cuius discursum sic proponere possumus, & amplificare,

Nam omnis creatura, vel est materialis, vel spiritalis: neutra autem ex his creare potest: ergo nulla. Patet consequentia, quia illa duo membra quæ includunt immediatam, & contradictoriam oppositionem, complectuntur omnes creaturas posibles. Minor verò quoad priorem partem de creaturis materialibus probatur, quia vel substantia materialis crearet per materiam, aut per formam, aut per accidentia. Non per materiam, quia hæc non est actiua, neque esse potest: repugnat enim intrinsece entitati & imperfectioni eius, quia essentialiter est pura potentia passiua. Vnde cum hæc ratio communis sit omni materiæ creabili, fieri non potest materia prima quæ sit principium creandi. Et hoc sane per sese, & ex terminis videtur notū, nam tanta perfectio quāta creatio indicat, plane repugnat cum tanta imperfectione, quantam materia prima præ se fert.

Neque etiam materialis forma (de hac enim nunc agimus) potest esse creationis principium. Primo quidem, quia talis est modus agendi, qualis est modus essendi: sed hæc forma habet in suo esse connaturalem dependentiam à subiecto: ergo & in omni actione cuius ipsa est proprium & connaturale principium. Secundo, quia talis forma non est connaturali modo producibilis per creationem propriam, sed vel per educationem, vel per concreationem cum toto composito: ergo neque ipsa potest esse principium creandi. Patet consequentia, quia ad summum esse potest principium producendi formam sibi similem, & modo etiam sibi proportionato, & connaturali ipsi formæ producendæ. Quod tertio ita declaro, nam talis forma aut esset principium creandi materiam, aut formam, aut compositum: nō materiam, quia talis forma est posterior materiæ, & ordine naturæ supponit illam vt esse possit, & ideo etiam illam supponit vt agere possit. Maxime quod forma adeo imperfecta non potest continere eminenter ipsam materiam, & ideo non potest rem adeo sibi dissimilem procreare. Neque etiam potest creare formam, quia non potest producere formam spirituales, cum suum ordinem excedere nō possit: neque formam materialelem producere potest, nisi modo connaturali ipsi formæ producendæ: non potest enim immutare ordinem rebus ipsis connaturalem: talis autem forma quando non concreatur materiæ, non est factibilis per creationem, sed per solam educationem, quia non est capax proprii esse sine dependentia à materiæ.

Vnde etiam relinquitur, talem formam non posse esse principium creandi totam substantiam materialelem, quia hæc creari non potest nisi ab eo qui potest creare materiam. Quod vero multo minus possit spirituales substantias creare, tanquam euidenter supponitur, quia non potest transcendere suum ordinem in agendo. Et eodem discursu facile concluditur, non posse materialelem substantiam secundum se totam, aut per se primo esse principium creandi, tum quia, vt dictum est, materia non potest esse principium agendi nedum creandi, tum etiam quia totū compositum non potest habere vim agendi, nisi ab his partibus, ex quibus essentialiter constat: si ergo neque in materiæ, neque in forma potest esse illa vis creandi, aut proportio ad talem actionem, neque in toto composito esse potest.

Restabat dicendum de accidentibus huius substantiæ, quod erat tertium membrum in illa priori parte propositum: sed de accidentibus generatim statim dicemus plura, nunc hoc membrum sumimus vt satis probatum ex dictis de substantiali forma: nā si hæc non potest esse principium creandi, propter naturalem dependentiam, quam habet à materiæ, multo minus esse poterit accidens materiale, quod & magis dependens est, & minus perfectum: præsertim cum tractemus nunc de causā principali. Atque hic discursus de rebus materialibus, mihi quidem

XV.

XVI.

XVII.

videtur efficax, & que procedere de substantiis factis & possibilibus, nam fundatur in propria natura & imperfectione substantiæ materialis ut sic: & in connaturali proportionem inter agere & esse, quæ immutari non potest. nam licet Deus possit agere in creatura, vel per creaturam aliud, quam sit illi connaturale alicui creaturæ, id quod est improporionatū naturæ eius.

XVIII. Venio ad alteram partem in principali argumento propositam de substantia spirituali. Quam Scotus non aliter probat, nisi quia substantia spiritualis creata nihil potest efficere nisi medio accidente, sed medio accidente non potest quicquam creare: ergo nullus Angelus potest habere vim creandi. Maiorem ex eo probat quod Angelus nihil potest efficere nisi mediis actibus intellectus, & voluntatis: hi autem actus sunt accidentia, nec fieri potest Angelus in quo tales actus sint substantia, & non accidens ut ibi fuit, probat, & nos nunc admittimus, quidquid sit de efficacia rationum eius quoad hanc partem, de qua dicemus infra disputando de intelligentiis creatis. Minor autem probatur ab Scoto, quia accidens solum posset requiri ad creandum vel tanquam actio ipsa, quæ terminatur ad rem creatam: & hoc dici non potest in presenti, quia huiusmodi actio est in ipso termino, ut infra videbimus: unde talis actio non potest esse intellectio, vel volitio Angeli. Vel posset requiri accidens ut principium talis actionis: hoc autem esse non posse solum probat ex generali principio, quod accidens non potest esse principium ad producendam substantiam. Quod quidem de principio principali omnes admittunt, & in hoc sensu videtur sufficiens præsentis intentioni: nam, ut diximus, solum agimus de principio principali.

XIX. Veruntamen ipse Scotus extendit illam propositionem etiam ad principium instrumentale, quo sensu non est in uniuersum vera, ut supra vidimus: an verò peculiari ratione vera sit de instrumento creationis, infra dicam. Supponit autem hic discursus Scoti quoad hanc ultimam partem, quod si creatura posset creare, deberet creare substantiam, quod merito supponit: quia, ut supra diximus, non potest creari, nisi aut res subsistens, aut per modum subsistentis, creatura autem non potest creare accidens per modum subsistentis, seu separatam à subiecto: quia talis modus essendi non potest esse connaturalis accidenti, non potest autem creatura habere vim subsistentis ad producendam rem modo præternaturali, aut sine aliis causis, à quibus natura sua necessario pendet. Adde, quod accidens inherens substantiæ, & impotens natura sua ad existendum aliter, non potest natura sua esse principium creandi accidens per se separatam, quia talis modus agendi superat modum essendi connaturalem tali accidenti.

XX. Vnum ergo tantum est, in quo diminutus videtur hic discursus Scoti, nempe illud Dilemma, quod accidens tantum posset requiri ad creandum, vel tanquam actio, vel tanquam principium actionis: nam præter hæc posset esse tertium membrum, scilicet, quod actus accidentalis prærequiratur ad applicandam vel dirigendam proximam virtutem agendi, nam hoc modo requiruntur etiam intellectio & volitio ad opera artis, & ad mouendum localiter. Posset ergo quispiam dicere vnum Angelum posse creare alium proximè & immediate per substantiam suam tanquam per principium agendi, tamè ut illud principium agat modo libero & intellectu, requiri actum voluntatis, ut applicantem illud principium, seu potentiam exequentem ad operandum, & actum intellectus ut dirigentem, atque hoc modo non esse inconueniens, ad creationem substantiæ requiri actum accidentalem. Sic enim in animalibus potentia generandi applicatur ad operandum per appetitum, & in homine per voluntatē, & intellectus, licet sit perfectior potentia quam voluntas, subordinatur illi

quoad exercitium seu applicationem ad actum. Sic igitur virtus creandi, etiam substantialis esset & perfectior, posset subordinari voluntati, & per actum eius accidentalem ad suam actionem applicari.

Propter hanc ergo causam non censeo hanc probationem omnino efficacem quoad creaturas spirituales & intellectuales. Possunt tamen hic applicari coniecturæ, quibus infra probabimus non posse Angelos ad nutum suæ voluntatis transmutare materiam ad formam: nam si id verum est, multo maiori ratione non poterunt aliquid ex nihilo facere: de illis autem rationibus dicemus infra. Præterea certum est nullam intelligentiam finitam posse creare aliam perfectiorem se, nam hoc est supra virtutem causæ principalis. Neque etiam est cur possit creare materiales substantias, quia illas non continet eminenter, cum sit ad definitam speciem limitata, & cum proportionem nullam habeat cum corporalibus: ad aliam verò spirituales substantias ita comparatur ut intra eundem gradum condistinguantur ita quæ species perfectæ, sicut distinguuntur species seu genera animalis. Unde sicut per se loquendo, non potest vnum animal generare aliud diuersæ speciei, etiam minus perfectæ, ita neque vnus Angelus posset creare inferiorem, solum ergo restat probandum quod nec sibi similem in specie creare possit. Cuius rei facile redderetur ratio, si verum esset non posse intelligentias multiplicari numero intra eandem speciem. Sed quia illa opinio vera non est, ideo dici potest, saltem multiplicationem indiuiduorum non esse per se intentam à natura, sed solum propter conseruandam speciem, ideoque non esse connaturale indiuidui in corruptibilibus habere propriam virtutem producendi sibi similia in specie. Denique accommodando discursum Scoti, potest addi coniectura, quia substantiæ intellectuales creatæ in operationibus sibi maxime propriis, quales sunt intellectus & voluntas, non possunt quicquam efficere nisi ex præsupposito subiecto, ergo verisimile est non posse habere vim naturalem ad efficiendam actionem omnino substantialem, & independenter à subiecto.

Ratio qua Ochamus vitatur, perpenditur.

Aliam rationem adducit Ocham dicta questione, scilicet, quia omnis creatura aut naturaliter agit, aut libere, sed neutro modo potest habere virtutem creandi: ergo. Minor quoad priorem partem probatur, quia talis causa naturaliter agens simul crearet quidquid posset, quia non penderet ex dispositione vel capacitate passivæ: crearet ergo infinita, vel in specie, vel in indiuiduo, quia nullus potest signari numerus finitus quem causare possit. Altera pars de causa libera probatur, quia licet non necessario crearet illa omnia, tamen saltem posset velle, & consequenter posset creare simul illa omnia, quod est inconueniens. Sed hæc ratio minus est efficax, quam præcedens: neutrum enim membrum satis impugnatur, nam licet talis causa naturaliter ageret, penderet tamen in agendo à diuino concursu, & ab eodè posset determinari ad agendum finita, & hæc potius quàm illa. Sicut nunc agens naturale applicatum passio ex se indifferens est ad producendum hanc vel illam indiuiduam formam ex infinitis, determinatur autem per concursum Dei. Sed inquit Ocham, inconueniens esse ut talis creatura suspendatur ab actione sua, si potest producere infinita. At hoc idem argumentum si fieri potest de diuina potentia, nullum ergo est illud inconueniens, quia infinita non sunt producibilia actu simul omnia. Et eadem ratione impugnatur probatio alterius partis, quia ad voluntatem etiam diuinam applicari potest: non ergo posset talis creatura velle creare simul infinita, quia obiectum

esset impossibile, vel si id vellet, inaniter & ineffaciter vellet: solum ergo posset pro suo arbitrio hæc vel illa ex infinitis creare. Recte tamen concludit argumentum, quod talis creatura posset intra eandem speciem, vel idem genus creare Syncategorematicè infinita, id est, non tot quin plura, saltem successiue: quod etiam Ocham censet inconueniens, sed nullū est, nam Sol etiam potest sic in infinitum plura generare successiue, quamuis ea quæ simul potest facere vel conseruare in quolibet instante, non solum sint finita, sed etiam in determinato aliquo numero & quantitate, quia virtus finita saltem requirit huiusmodi terminum. Veruntamen hoc idem dici posset de virtute creaturæ ad creandum, si semel poneretur.

Expenditur primatio D. Thomæ, cur ad creandum virtus infinita requiratur.

XXIII. Omnis ergo rationibus, quæ vel in particulari procedunt de hac aut illa creatura, vel per media valde extrinseca, Diuus Thomas ex proprio obiecto & modo creationis conatus est duas generales rationes asserere, ob quas in vniuersum omnis creatio omni creaturæ possibili repugnat. Priorem habet, parte questione 45. articulo 5. in corpore. Quæ sic formari potest. Effectus seu terminus creationis est proprius causæ vniuersalissimæ, ita vt non possit alteri conuenire: ergo & creatio, & potentia creandi est ita propria primæ causæ, vt non possit alteri communicari. Consequentia est clara, quia illius tantum potest esse actio & potentia, cuius potest esse effectus. Antecedens autem probatur, quia esse vt sic est proprius effectus vniuersalissimæ causæ, sed proprius etiam terminus seu effectus creationis est ipsum esse vt sic: ergo proprius terminus creationis, solius primæ causæ potest esse effectus. Maior patet, quia effectus vniuersaliores in vniuersaliores causas reuocandi sunt: ergo & vniuersalissimus effectus in vniuersalissimam causam: sed esse est vniuersalissimus effectus ergo. Minor autem probatur, quia per creationem produciuntur ens in quantum ens: ergo per illam communicatur esse, vt sic secundum absolutam rationem suam, secundum quam est vniuersalissimus effectus, & proprius primæ causæ. Hanc rationem impugnat Scotus citato loco, & alii Scotistæ in 2. dist. 1. & eam late defendunt Caietan. 1. part. loco citato, & Ferrar. 2. cont. Gent. cap. 21. & Capreol. in 2. distinctione, questione 3. Et quidem nonnullæ ex obiectionibus Scoti veram & facilem habent solutionem.

XXIV. Impugnatur enim primo illam propositionem Diui Thomæ, quod esse est proprius effectus Dei, ac si sensus esset solum Deum efficere ipsum esse in qualibet creatura, & causas secundas non concurrere actiue ad efficiendum esse existentia. Sed hic sensus est sine dubio falsus, vt infra ostendam, disputando de existentia creaturæ, & non est intentus à Diuo Thoma, sed solum vocat esse proprium effectum Dei formaliter ac per se primo, vel quia solus Deus facere potest esse ex omnino non esse, vel quia solus potest facere in qualibet re omnia quæ ad illius esse requiruntur. Et hi sensus sunt veri, non tamen deseruiunt ad rem præsentem, quia peteretur principium, cū hoc ipsum sit probandum. Alius ergo sensus erit, quod solus Deus respicit esse factibile, vt sit tanquam adæquatum obiectum suæ potentia, & hoc etiam sensus est vera propositio, vt per se constat, & ex dictis in principio huius sectionis: & argumenta Scoti non procedunt contra illam. Quomodo vero deseruiat præsentī rationi, patebit ex dicendis.

XXV. Ex quo facile etiam constat, quem sensum reddat alia propositio, quod vniuersalior effectus in vniuersaliorē causam reduciatur: quæ etiam impugnatur

Scotus, quia vel est sermo de vniuersalitate potestatis tam causæ quam effectus: & sic licet generalis propositio esset vera, falsum tamen est, quod ens aut esse sit vniuersalissimus effectus, qui non est perfectissimus, sed potius imperfectissimus omnium, cum sit communissimus. Vel est sermo de vniuersalitate prædicationis: & sic nec propositio esset ad rem, neq. subsumptio vera, quia Deus non est hoc modo causa vniuersalissima. Sed hoc facilem habet resolutionem, quia sermo est de vniuersalitate proportionata effectui & causæ. Vnde ex parte causæ est sermo de vniuersalitate in causando: ex parte vero effectus, est sermo de effectui vniuersali in multitudine, & consequenter de ratione obiectiua ad quata vniuersaliori in prædicando. Et hoc modo verissimum est, vniuersaliorē vel communiorē effectum, id est, rationem entis, vel talis entis quo vniuersalior est, eò respici à causa vniuersaliori, tanquam rationem obiectiuam per se primo, & ad quata suæ potestatis. Et ratio est clara, quia licet causa vniuersalis in se sit simplex, tamen dicitur vniuersalis per ordinem ad multa quæ eminenter continet, & potest efficere: ergo quo fuerit vniuersalior, eo continebit, & poterit efficere plura: ergo eo habebit rationem obiectiuam vniuersaliorē in prædicando, id est, plura sub continentem: ergo & è conuerso quo effectus fuerit hoc modo vniuersalior, eo in causam vniuersaliorē reducendus est, si ad quate ac per se primo illi correspondere dicitur. Neque contra hoc obstat, quod rationes vniuersaliores in prædicando sunt minus perfectæ: nam licet hoc sit verum considerando illas rationes secundum mentis præcisionem, non tamen prout includunt omnia inferiora: hoc autem modo dicitur ens & alia similis ratio ad quata alicui potentia actiue: non enim attingit illam rationem præcisam, sed totū quod sub illa continetur. Et hoc modo ens creabile dicitur esse ad quatum obiectū diuinæ potentia, quæ omnia sunt satis manifesta. Alii respondent, esse vt sic, etiam in communi sumptū pro esse existentia, esse maximam perfectionem omnium. Sed de sensu huius locutionis dicemus inferius in prædicta disputatione, nunc enim necessaria non est.

Maior sane difficultas est in applicatione horum generalium principiorum ad concludendam propositionem intentam: quia ex illis ad summum videntur posse inferri duo, quæ supra diximus esse certa. Vnum est, quod creatura non possit creare independentē à prima causa. Quod verò id non possit cum concursu primæ causæ, minimè videtur inferri. Nam dare esse non est proprium primæ causæ, nisi cum prædicta independentia. Vnde in libro de Causis dicitur (quod Diuus Thomas etiam adducit) *secunda causa non dat esse, nisi in virtute prime, & in quantum participat operationem prime*: quod non alia ratione verum est, nisi quia causa secunda tantum agere potest per virtutem acceptam à prima, & dependens in actione sua ab actuali operatione Dei: ergo hoc modo potest creatura communicare esse, etiam per creationem, quantum est ex vi illius principii. Rursus ex illis principiis optime concluditur non esse communicabilem creaturæ potentiam creandi, quæ habeat pro obiecto ad quatum ens creabile, seu ipsum esse vt includit totam latitudinem esse participabilis. Hinc verò non potest concludi omnem participationem illius potentia creatiue vniuersalis, limitatam ac determinatam ad aliquod genus, vel speciem, vel certè ad aliqua indiuidua rerum creabilium, esse incommunicabilem creaturæ: neque enim huiusmodi potentia sic determinata in ipsis terminis inuoluit repugnantiam, neque ex illis principiis ostendi potest impossibilis. Primum patet, quia creatio leonis, verbi gratia, est specie distincta à creatione hominis: ergo ex terminis non repugnat dari potentiam

in vniuersaliorē causam reducendum.

XXVI.
In quo sit difficultas rationis D. Thomæ.

*Propositio ex lib. de Causis ad d. 1. ex-
plicatur.*

tiā creatam commensuratam creationi talis speciet, & non creationi secundum suam latitudinem. Sicut est manifestum in potentia generatiua seueductiua de potentia materiae, quae prout se extendit ad omne generabile possibile, est propria solius Dei, maxime cum independentia: limitata verò ad certam speciem generationis potest communicari creaturae cum dependentia à prima causa. Secundum patet, quia talis potentia creata etiam si fit ad creandum, non habet pro obiecto vniuersalissimo effectum, sed determinatum, & particularem. Vnde quod Diuus Thomas subsumit, scilicet, per creationem produci esse absolute, non quatenus hoc vel tale, est quidem verum de creatione in genere, non verò de hac creatione in specie: nam per hanc re vera producitur esse quatenus est tale, scilicet hominis, aut Angeli: & ideo non est necesse ut potentia quae non respicit ad aequatè creationem ut sic, sed talem creationem, sit vniuersalissima potentia: ergo non oportet ut sit propria primae causae.

XXVII.

*Prima et
ratio diffi-
cultatis.*

Ad hanc difficultatem primo responderi potest concedendo non amplius probari illo discursu, idque non esse contra Diui Thomae auctoritatem, quia ille non videtur amplius concludere voluisse tali discursu. Quod patet, nam statim post illam rationem refert opinionem dicentium, posse creaturam creare per virtutem acceptam à Deo, & licet D. Thomas ibi vocet hoc, creare instrumentaliter, tamen re vera videtur solum sumere illud *instrumentaliter* latè, prout etiam causae secundae principales dicuntur esse instrumenta primae causae. Quod probari potest, nam hoc modo refert statim opinionem Auicennae dicentis vnam intelligentiam esse causam aliam: Auicenna verò non posuit intelligentiam creare, ut instrumentum in rigore sumptum, sed ut causam secundam principalem. In hac verò responsione duo incommoda relinquuntur, vnum quod ratio non defenditur nec manet probata conclusio. Aliud spectans ad mentem D. Tho. quod ratio qua statim probat creaturam non posse esse instrumentum creationis, procedat etiam de causa secunda principali, quod tamen difficile est, ut inferius declarabimus attingendo rationem illam.

XXVIII.

Secunda

Secundo ergo respondere possumus, efficaciam illius rationis in eo consistere, ut ex formali obiecto & modo creationis eliciat non posse dari potentiam creandi, quae ex se non respiciat, ut adaequatum obiectum esse secundum totam similitudinem entis participabilis (huiusmodi enim ens intelligendus est quoties in hac materia dicitur ens in quantum ens, nisi illud in quantum specificatiue sumatur ut dixi.) Vnde autem illius illationis videtur D. Tho. ponere in illa propositione: *Producere esse absolute non in quantum est hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis.* Potestque ita formari deductio, nam per omnem creationem fit per se primo esse, non solum in quantum est tale esse, sed etiam in quantum est esse: ergo omnis potentia à qua est talis actio, respicit ut formale & adaequatunt obiectum ipsum esse, non solum in quantum est tale esse, sed absolute in quantum est esse: ergo talis potentia necessario debet esse vniuersalis, & completens omne ens participabile. Consequentia est clara, quia omnis potentia completens omnia quae sub suo obiecto adaequato & formali comprehenduntur. Maior etiam conuenit ex doctrina Philosophi i. Physicor. supra tacta, quam etiam bene declarat Caiet. 1. p. q. 44 art. 2. Nam effectus dicitur fieri per se primo secundum eam rationem, quae non praecessit ex parte effectus: nam si praecessit, iam non per se, sed per accidens fieri dicitur, nam cum ignis generatur ex aere, non fit per se corpus, neque elementum, fit autem per se ignis. Sic igitur in omni creatione fit per se ens seu esse non solum ut tale, sed simpliciter ut esse: quia nulla ratio entis aut esse supponitur ad creationem, cum sit ex nihilo.

Minor vero probatur, quia illa ratio secundum quam per se primo attingit potentia suum effectum, videtur esse formalis ratio obiectiua sub qua talis potentia attingit eundem effectum. Vnde fit, ut in causando tam vniuersalis & abstracta sit potentia quae est in ordine suo illa ratio formalis obiectiua, quam per se primo attingit.

Addere praeterea possumus ad confirmandam eandem deductionem alium discursum eiusdem D. Thomae in eodem articulo in solutione ad 1. Quia quidquid creat aliquid, creat absolute ens, & non tantum applicando esse seu naturam entis ad hoc ens: ergo quantum est ex se potest creare quodlibet ens creabile. Explicatur antecedens, nam neri non potest ut qui participat aliquam naturam producat absolute illam, sed applicando illam ad aliquid, ut Petrus non potest esse causa naturae humanae absolute, aliàs posset esse causa sui ipsius: Vnde solum potest esse causa ut natura humana sit in Paulo vel Francisco. Sicut autem hic homo participat naturam hominis, ita quodlibet ens creatum participat naturam entis, non ergo potest producere absolute naturam entis, sed applicando illam ad hoc ens. Ergo sicut homo non potest per actionem vel productionem suam applicare naturam hominis ad hoc, nisi praesupponendo aliquid quo illa determinatio naturae communis ad hoc indiuiduum fiat, ita in vniuersum non potest ens per participationem communicare naturam entis nisi praesupponendo aliquid quo determinetur natura entis ad hoc: quod repugnat creationi. Ergo è conuerso omnis potentia quae potest producere absolute ens nihil praesupponendo, producit absolute naturam entis, & non tantum applicando illam ad hoc: ergo omnis potentia quae potest sic producere, est vniuersalis potentia: vnde non potest esse ens participatum, sed ens per essentiam.

Sed adhuc non quiescit animus, sed in veris discursu plures difficultates inuenit. Nam in priori illa propositio subsumpta, in qua est tota vis argumenti, scilicet, *omnis potentia per se attingens in aliquo effectum rationem aliquam entis, est de se vniuersalis ad omnia quae sunt sub tali ratione comprehenduntur*, non videtur in vniuersum vera: nam cum generatur triticum v.g. non solum per se generatur triticum, sed etiam viuens, quia non praesupponitur ratio viuentis: generatur enim triticum aut herba ex terra non viuente, & tamen quia habet potentiam ad generandum triticum, non ideo habet potentiam ad generandum omne viuens. Idem est cum equus generat equum, non solum ex non equo, sed etiam ex non animali, nempe ex semine: tunc enim per se generatur & equus & animal, & tamen illa potentia generatiua non respicit rationem animalis ut adaequatam, nec potest efficere generationes omnium animalium. Praeterea, aliàs sequitur etiam Deum posse creare seipsum, quia quando creatur aliquod ens, non tantum in illo fit per se ratio entis creabilis, sed etiam ratio entis abstractissimi, quia nulla ratio entis praesupponitur ex parte effectus: ergo si dicta consecutio vniuersalis est, adaequatunt obiectum potentiae creatiuae non erit tantum ens creabile, sed absolute & praecise ens: ergo comprehendit sub se absolute omne ens, etiam ipsum Deum. Nec dici potest, ens ut sic abstractum per se non creari, quia ratio entis supponitur saltem in creatore: hoc enim non impedit productionem per se: nam ignis per se generat ignem: licet ratio ignis in generante supponatur: & ideo supra dixi, rationem quae per se fit, non debere supponi ex parte effectus, quia ex parte agentis non obstat.

Quod si respondeatur id non sequi, quia potentia creandi non attingit illam abstractissimam rationem entis, ratione ut sic praecise sumptam, sed quatenus includitur in ratione entis creabilis: quod supra dialecticis terminis diximus, non attingere illam reduplicatiue, sed specificatiue: est quidem respon-

no optima, tamen per eandem infringitur tota vis rationis & discursus D. Thomæ. Nam eodem modo dicitur per potestatem creandi communicatam creaturæ, non fieri per se rationem entis creabilis ut sic, nisi quatenus includitur in ratione talis entis, atque ita etiam huiusmodi potentiam non attingere ens in quantum ens duplicatiue, sed specificatiue: & ideo non recte colligi, talem potentiam debere esse vniuersalissimam, & comprehendere ens omne creabile. Vnde claritatis gratia distinguere possumus inter fieri per se, & fieri per se primo, asserereque ad illud primum sufficere, ut res secundum eam rationem qua per se fieri dicitur, non supponatur ex parte effectus: hoc verò posterius addere, quod res secundum talem rationem fiat ut proprius, & quasi formalis terminus potentie agentis, & non tantum ut inclusus in formali termino. Per creationem ergo fit per se ens in quantum ens creabile, non tamen ex ratione creationis probari potest esse necessarium ut fiat per se primo secundum illam transcendentelem rationem: nam potest creari ab aliqua potentia per se primo quatenus tale ens. Licet autem illa propositio, quæ est fundamentum illius discursus, admittatur de effectu per se primo, non tamen admitti potest de omni effectu per se, ut argumenta facta concludunt, non est ergo sufficiens ad concludendum intentionem.

Nec minor est difficultas, sed fortasse maior in posteriori discursu, illa enim propositio: *Qui participat aliquam naturam non potest absolute illam producere, sed applicando illam ad aliquid*, seu ad hoc: in hoc sensu est vera, quod non potest producere illam absolute, id est in omnibus rebus, in quibus existit, videlicet si illa natura sit specifica, non potest producere illam in omnibus indiuiduis in quibus apta est existere: si verò sit natura generica aut ratio transcendentalis, non poterit eam producere in omnibus inferioribus seruata proportionem. Et hunc sensum probat optimè illa ratio, quia alias talis res posset efficere se ipsam. Iuxta hunc autem sensum, vel non est verum, vel saltem sine probatione assumitur, quidquid creat, creare absolute ens: cur enim non poterit creare quædam entia & non alia, ut hactenus argumentati sumus? Aliud verò sensum potest illa propositio reddere, qui videtur magis intentus in illo discursu, nimirum, qui participat aliquam naturam, non posse producere illam naturam absolute, id est secundum se totam, & secundum omnem partem eius, sed tantum præsupponendo aliquam partem eius, eiq; aliam applicando: quo sensu verissimè dicitur, quidquid creat, creare absolute ens, tamen illa propositio in eo sensu, siue vera, siue falsa sit, non probatur in prædicto discursu: nam licet aliquis produceret naturam sibi similem absolute in dicto sensu, non sequitur quod posset esse causa sui ipsius: nam posset producere talem naturam secundum se totam in vno vel alio indiuiduo: non tamen in omnibus, aut in vna specie (si natura sit generica) & non in omnibus. Et pari ratione posset creare aliquod ens absolute in dicto sensu, id est secundum totam entitatem: non tamen omne ens.

Vnde ulterius in bono sensu verum est, quod qui participat aliquam naturam, non facit illam absolute existere, sed est causa quod sit in hoc indiuiduo, aut in hoc ente: non recte tamen inde inferitur, præsupponi ad actionem, per quam fit tale indiuiduum vel tale ens, aliquod principium indiuiduans, nam potest tota res cum toto suo principio indiuiduante per illam actionem fieri. Cum enim natura specifica dicitur fieri in indiuiduo, vel applicari ad indiuiduum, non est fingendum quod vna res quæ sit, applicetur præexistenti, sed solum dicitur applicari, quia in vno indiuiduo fit, & non in sua abstractione. Vnde etiam quando Deus creauit Adamum, non creauit totam speciem humanam absolute, id est abstractum, sed creauit illam applicando eam (iuxta illum modum

loquendi) ad hoc indiuiduum, non quidem præsupponendo in illo ex parte eius principium indiuiduationis, sed illud simul creando. Sic igitur, quamuis vnus angelus crearet sibi similem in natura, applicando suam specificam naturam ad tale indiuiduum, non oporteret, ut ad suam actionem supponeret principium aliquod indiuiduans alium angelum, sed quod illud simul produceret. Maximè cum hoc principium indiuiduans in singulis naturis nihil aliud sit quàm ipsamet entitas naturæ, si sit simplex: vel principia quibus intrinsece constituitur, si sit composita. Et confirmatur, quia alias eodem discursu probaretur, supposito vno angelo non posse Deum creare alium illi similem, quia vel per illam actionem crearet talem naturam specificam absolute: & hoc non, quia per illam actionem non creat priorem angelum, vel producit applicando specificam naturam ad hoc indiuiduum: & sic oporteret ad talem actionem supponi principium indiuiduans. Quod si tunc dicatur, ut verè dicendum est, applicari illam naturam ad hoc indiuiduum, producendo absolute totam eius entitatem ex nihilo, idem omnino diceretur, etiam si vnus angelus crearet alium sibi similem, vel in specie, vel in genere: nam quod in ipso agente supponatur similis natura, nihil obstat creationi, ut iam supra dictum est.

Fateor nescire me omnibus his difficultatibus satisfacere, nam contra posteriorem discursum positione (ut ita dicam) videntur mihi concludere non esse aptam rationationem illam: contra priorem vero saltem ostendunt non conuincere, quia non omnia principia, quæ in eo sumuntur, sufficienter probantur, quamuis non constet esse falsa. Et omnia reducuntur ad illud, quod omnis potentia creandi talis necessario esse debeat ut se extendat ad omne creabile. Hoc autem non videtur satis conuinci ex his quæ hactenus diximus, & præcise considerando terminum ad quem tendit creatio. Videndum autem superest, an coniungendo terminum à quo, & specialem habitudinem horum terminorum, & modum agendi proportionatum illis id possit efficacius inferri.

Est igitur vltima ratio eiusdem D. Thomæ dicto articulo 5. ad 2. nam potentia creandi esse debet necessaria infinita: ergo non potest esse creata: & eodem modo inferri potest necessario extendi ad omne creabile, nam potentia simpliciter infinita, est etiam vniuersalissima, & obiectum eius esse debet infinitum, quantum esse potest in ratione obiecti facibilis. Antecedens probatur à D. Thomas, quia virtus potentie non tantum attenditur ex re facta, sed etiam ex modo: sed modus producendi ex nihilo indicat infinitam vim in agendo: nam ad producendum aliquid ex potentia remota, requiritur magna virtus, & ex remotiori maior: ergo ad producendum ex nulla potentia, seu ex nihilo requiritur infinita virtus. Eadem rationem habet Albertus in 2. distinctione 1. art. 7. & alii.

Nonnulli fundant rationem hanc in eo, quod inter ens & nihil est infinita distantia. Sed non recte, ut Scotus supra responderet, quia nullum ens distat à nihilo nisi secundum eos gradus entitatis, quos in se habet. Vnde etiam D. Thomas in 4. distinct. 5. quæst. 1. art. 3. ad 5. ait, non esse distantiam infinitam inter ens & non ens ex parte ipsius entis, nisi quando ens est infinitum: quia vnum oppositorum tantum distat ab alio, quantum de reliquo participat. Et ideo materia quia est imperfectissima, dicitur ab Augustino prope nihil, angelus autem dicitur esse prope Deum, & vnumquodq; ens quo est perfectius, eo magis accedit ad Deum, & magis recedit à nihilo. Ipsum autem nihil potest quodammodo dici infinite, vel potius indefinite seu indeterminate distare ab ente, quia nihil potest magis distare ab ente quam ipsum nihil, vel quia non habet vnam determinatam distantiam, sed

XXXIV.
Luxuriam de
prædictis ob
iectionibus.

XXXV.
Vltima ratio
quia D.
Th. probat
assertionem.

XXXVI.
Hinc quod
li 4. q. ult.
Ric. in 2.
d. 1. art. 4.
q. 4.

sed potest habere maiorem & maiorem secundum varios gradus entis. Sed hoc non refert ad præsens, quia per creationem non transcenditur (ut ita dicam) tota hæc distantia a seipso nihil secundum totam latitudinem suam, sed solum secundum eos gradus entitatis, quos recipit ens, quod creatur.

xxxvii.

Alii ergo communiter fundant illam consecutionem in maxima improportione, quæ est inter ens & nihil. Nam ad agendum ex potentia magis elongata ab actu, requiritur maior virtus: ergo quæ proportionem effectus fiet ex remotiori potentia, eadem requiratur maior virtus: ergo ubi elongatio actus a potentia est sine ulla proportionem, ibi maior sine ulla proportionem virtus requiratur, hæc autem non est infinita: nam omnis virtus finita seruat aliquam proportionem ad alteram finitam. Qui argumentandi modus frequens est apud Aristotelem, ut constat ex 4. & 8. Phys. Ex quo simili proportionem argumentatur Caietanus, nam si ad producendum aliquid ex nihilo sufficeret virtus finita, sequeretur, æqualem virtutem requiri ad producendum aliquid ex aliqua materia, & ex nihilo: sit enim virtus creatrix finita ut quatuor: virtus autem produciens ex materia remota sit ut duo: ergo virtus necessaria ad producendum ex materia duplo remotiori erit saltem ut tria: ergo ad producendum ex vltiori materia duplo etiam remotiori, erit necessaria virtus ut quatuor: ergo tanta virtus requiritur ad producendum aliquid ex aliqua materia, quanta ad creandum.

xxxviii.

Obiiciones
contra præ-
dictam ra-
tionem.

Contra hanc verò rationem multa obiciunt Scotus, & Durandus supra. Sed omnia eo tendunt, ut præbent inter ens & nihil vel non esse distantiam, vel non infinitam: quod non refert ad rationem factam, iam enim ostendimus non esse necessarium fingere illam infinitam distantiam propriam & positivam, neque inde sumi argumentum, sed ex improportionem quæ indicat talem modum operandi, qui summam efficaciam in agente requirat. Veruntamen illa obiectio quam supra proposuimus, videtur valde eneruare hanc rationem: optime enim probat argumentum, virtutem creativam esse ex hoc capite improportionabilem virtuti eductivæ de potentia materiæ: hinc tamen non recte inferitur fore necessariam infinitam simpliciter, nam satis erit sit alterius ordinis, quæ solet etiam dici infinita secundum quid, quam admittere nullum est inconueniens. Et hoc satis est ut illa potentia non seruet proportionem respectu cuiusvis potentie, quæ solum possit operari per eductionem forme de potentia materiæ: quia proportio solum seruat inter ea quæ sunt eiusdem rationis, seu quantitatis. Et declaratur hoc amplius ex ipsomet discursu: nam cum dicitur ad producendum aliquid ex potentia magis remota requiri maiorem virtutem, sermo est de potentia passiva, & de maiori vel minori elongatione ab actu ex defectu dispositionum, vel propter repugnantes dispositiones, & consequenter sit etiam comparatio inter virtutes activas solum per eductionem de potentia passiva. At verò cum inferitur ad producendum aliquid ex nihilo maiorem requiri virtutem, illud ex nihilo non designat aliquam potentiam passivam remotissimam ab actu, seu valde indispositam, sed designat potius carentiam omnis potentie passivæ: ergo non potest concludi quod potentia productiva ex nihilo sit maior vel infinita per argumentum (ut ita dicam) potentie eductivæ sed solum quod potentia sit activa, scilicet ex nihilo, est alterius & superioris ordinis ab omnipotentia tantum eductiva: etiam si potens sit ad educendam formam ex quacunque potentia reali, quæ remotissima sit. Atque ita non sequitur illud inconueniens, quod potentia creativa & eductiva sint æquales, quia sunt improportionatæ. Adde, quod si non essent cætera paria, sed ad diversos effectus inæqualiter perfectos compararentur, non esset illud magnum inconueniens,

ut etiam supra argumentando in principio proposuimus.

Propter has ergo difficultates dixi superius, veritatem hanc certiorē nobis fieri ex his, quæ facta sunt, quam ex ratione, quæ efficaciter demonstrat atque convincat, non posse aliud fieri. Atque eodem modo censio ex rebus factis probabilissimè ostendi ad cuiusvis rei creationem requiri potentiam simpliciter infinitam: nam cum facta sint à Deo plures substantiæ adeo perfectæ, nulla earum accepit virtutem ad creandum vel minimam rem, & quæ est, æque nihil: ergo signum est id solum provenire ex limitatione omnium harum creaturarum quantumvis perfectarum: alias nulla ratio reddi posset cur maxima perfectio quæ in angelis, aut Seraphim inveniuntur, ad hoc non sufficiat. Utque hinc vltius sit coniectura, illum superiorem ordinem, cuius necessario esse debet potentia creativa, non esse alium nisi ipsius esse per essentiam: nam inter esse participata non potest novus ordo, seu novus gradus reperiri præter eos, qui facti sunt: cum ergo supputando concluditur potentiam creativam debere esse alterius ordinis, concluditur esse infinitam: nam ille ordo non est alius nisi in quo est ipsum esse per essentiam. Et hoc significavit Athanasius, sermo 3. contra Arianos, cum dixit, *Administrare, creaturarum ac servorum est, condere autem atque creare solius Dei, & Verbius ac sapientie Præterea declarari amplius hoc potest, nam ipse modus efficientiæ per creationem indicat summam quandam efficaciam, & independentiam in creatore, quia, cū ad agendum nullam supponat potentiam realem extrinsecam, tantum requirit potentiam obiectivam, seu possibilem per non repugnantiam: hoc autem indicat summam vim in potentia activa, & ideo fortasse dixit Cyrillus lib. 2. cont. Iulianum, efficaciter posse operari ut creatorem, & producere res quæ aliquando non erant, esse unum ex his quæ propria sunt solius & omnium summe substantiæ.*

Deinde creatio est prima omnium actionum per quam communicari potest esse participatum, & hoc sensu per se primo tendit ad producendum ens totum in quantum ens: hinc ergo satis sit verisimile, hanc actionem talem esse ut natura sua essentialiter postulet manare ab ipso esse per essentiam: ideoque non posse dari entitatem participatam quæ vim habeat ad talem actionem.

Et ex eodem principio satis probabiliter intelligitur, illam gradationem superius factam, quod ad producendum ex maiori potentia requiritur maior perfectio, intelligendam esse non solum intra aliquod genus entis, sed absolute in latitudine entis: ideoque ad creandum requiri virtutem non quancunque ordinis superioris sed supremi qui in tota latitudine entis seu potentie activæ intelligi potest. Atque hinc vltius sit valde probabile illud principium, quod potentia creandi necessario se extendit ad omne creatibile: quia non expectat (ut ita dicam) ex parte obiecti nisi non repugnantiam, ut effectus sit aut fiat. Et quia principium primæ emanationis, & participationis est ab ipso esse per essentiam, & ideo talis potentia nihil esse potest nisi virtus quæ sit ipsum esse per essentiam, quæ est virtus universalissima, & de se potens in omne esse participatum. Et ob hanc fortasse causam dixit Augustinus lib. 9. de Genes. ad litteram cap. 15. *Angelum tam non posse quamvis rem creare, quam, neque scipsum.*

His ergo modis in teligimus quamvis superiores rationes non sint demonstrationes omnino cogentes, plurimum tamen conferre ad indicandam altitudinem potentie creativæ, & rationem ob quam repugnat esse creatam.

Tandem mihi non omnino displicet (quamvis Scotus eam contemnat) alia coniectura Aegidii, mirum quod cum omnis creatura sit mutabilis, & aliquo modo constans ex actu & potentia, verisimile est non esse capacem natura sua potentie agendi nisi per

per motum vel mutationem, & inducendo actum in potentiam. Patet consequentia ex illo principio, quia modus agendi imitatur modum essendi. Ex quo fit & contrario, ut Deo conveniat posse creare quatenus est actus purus & ipsum esse per essentiam, ac denique quatenus virtutem habet infinitam.

Satis fit rationi in principio posita.

Ex his satis responsum est principali rationi dubitandi in principio posita. Quod verò in augmentum difficultatis addebatur de virtute principali, non innata, sed superaddita, duobus modis potest etiam ex dictis facile expediri. Prior sumitur ex his, quæ de facto credimus, quia de facto nulla talis virtus principalis ad creandum comunicata est substantiis creatis, & tamen illis addita sunt virtutes & qualitates perfectissimi ordinis: ergo signum est nullam virtutem naturis rerum superaddi posse, quæ sit principalis virtus creandi. Unde iudicio meo non recte nec satis consentaneè loquuntur, qui dicunt omnes supernaturales qualitates, quæ nobis infunduntur, creati, alias etiam supernaturales actus, ut visio beata, crearentur, nam sunt veræ qualitates, & tam supernaturales sicut ipsi habitus. Ex quo fieret ut lumē gloriæ v.g. quod est principale principium ad faciendam visionem, esset etiam principalis virtus ad creandum: quod absurdum est.

Posterior responsio est, rationes prius factas non probare tantum de virtute connaturali, sed simpliciter de virtute creata, eo enim tendunt ut ostendat nullam virtutem creandi esse posse creatam aut limitatam, quod æque procedit de virtute indita naturæ ab extrinseco, & de illa quæ ab intrinseco nascitur: nam virtus quæ extrinsece additur, creata esse debet. Unde etiam oritur alia ratio, quia virtus addita supra naturam rei, necessario esse debet accidentalis, nam substantia non potest sibi ipsi addi, vel esse supernaturalis sibi: & ideo virtus superaddita necessario est accidentalis: virtus autem accidentalis non potest esse principalis virtus creandi. Quod ex modo essendi eius satis colligi potest, iuxta ea quæ superius diximus explicando primum discursum Scoti: nam cum omne accidens sit natura sua pendens in esse à subiecto, fieri non potest ut habeat connaturalem modum agendi extra subiectum seu independentem à subiecto, qualis est modus creationis: ergo non potest esse principalis virtus creandi. Est enim attentè considerandum, quod, licet forma aliqua, quæ est principalis virtus ad aliquem actum, sit supernaturalis subiecto, & ideo ille modus agendi sit etiam tali subiecto supernaturalis, tamen illa forma habet suam propriam essentiam & naturam sibi connaturalem: & ideo ille modus agendi ipsi formæ est connaturalis. Cum ergo modus agendi sine subiecto non possit esse connaturalis accidenti, neque virtus creandi esse poterit connaturalis aut subiecto, aut ipsi formæ accidentali: & ideo talis forma non potest esse principalis virtus.

SECTIO III.

An possit dari instrumentum creationis.

NON est in animo hanc rem ex professo ac Theologicè tractare, sed tantum brevitè attingere, quātum ex discursibus factis concludi potest. Ex dictis enim videtur efficaciter concludi, non posse esse creaturam instrumentale principium creandi, tale (inquam) instrumentum quod natura sua sit institutum & ordinatum ad talem actionem, quodque habeat naturalem potentiam instrumentariam ad illam, constat enim ex superius dictis de causa agente creata inter virtutes actiuas connaturales agentis. Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

tibus creatis esse quasdam instrumentarias, & non principales, qualis est virtus seminis. Hoc ergo sensu dicimus, recte probari ex dictis, non posse dari virtutem creatam, quæ ex se & natura sua sit instrumentaria virtuti creandi. Probatur, quia virtus instrumentaria creaturæ ad physicas & reales actiones semper est accidentalis: virtuti autem accidentali non potest esse connaturalis modus agendi per creationem, etiam instrumentariè. Maior constat inductione in omnibus propriis instrumentis, quæ non solum propter habitudinem vel denominationem ad aliquod prius agens, sed propriè propter intrinsecum modum agendi, & insufficienciam virtutis ad effectum, vocantur instrumenta. Et præterea specialiter probatur in præsentī, quia si tale instrumentum non esset accidens, esset aliqua substantia. Cuius ergo esset instrumentum in creatione? Non sui ipsius, ut constat, nec etiam alterius substantiæ creatæ, quia nulla est, quæ sit principale agens ad creandum; & instrumentum dicitur ex parte agentis principalis: nec denique Dei, quia ex parte Dei non est necessarium ad ullam creationem instrumentum, ut per se constat: nec verò ex parte ipsius substantiæ potest aliqua cogitari quæ natura sua possit adhuc finem institui, ut sit creationis instrumentum, cum ille finis sit valde extrinsecus, & valde accidentarius ad rerum creationes. Imo cum substantia sit ens per se, nunquam finis aliquis substantiæ ipsi connaturalis est, quod sit instrumentum ad aliquam actionem, nisi talis substantia sit aliquo modo partialis, & comparatur ad eam cuius est instrumentum ut pars ad totum: & tunc etiam potius se habet ut deferens, virtutem instrumentariam, quam ut instrumentum per propriam substantiam.

Quod autem virtus accidentalis non possit esse naturale instrumentum creationis, eadem fere ratione probari potest, quæ de principali virtute facta est. Nam modus connaturalis agendi, esse debet proportionatus modo essendi formæ, siue agat ut virtus principalis, siue ut instrumentaria, quia utroque modo actio consequitur ipsum esse naturale formæ: sed modus essendi cum independentia à subiecto non potest esse connaturalis accidenti: ergo nec modus agendi ex nullo subiecto potest esse illi connaturalis: ergo non potest accidens esse virtus natura sua instituta ad sic operandum etiam per modum instrumenti. Atque hoc bene confirmat ratio, quæ D. Th. 1. p. quæst. 45. ar. 5. probat, creaturam non posse esse instrumentum creationis, scilicet quia creatura non potest esse instrumentum, nisi per aliquid sibi proprium dispositivè operetur ad effectum principalis agentis.

Quocirca si D. Thom. in illo articulo in hoc tantum sensu loqueretur, scilicet, de instrumento natura sua ad hanc actionem instituto, & habente connaturalem virtutem instrumentariam ad creandum, nulla esset aut in conclusione, aut in ratione eius difficultas. Nam quod obijci potest contra illam rationem, scpe actionem instrumenti non esse aliam ab actione principalis agentis, & tunc instrumentum non operari dispositivè ad effectum principalis agentis, sed immediatè illum efficere, ut multi censent de phantasmate respectu speciei intelligibilis: hoc (inquam) commodum habet solutionem, & illius principii interpretationem. Nam semper instrumentum naturale secundum aliquid sibi proprium, quod in effectu proportionatè ei correspondet, operatur ad effectum principalis agentis, dispositivè autem operari dicitur, non semper cum omni rigore & proprietate, id est, inducendo dispositionem præquā re ipsa distinctam ab effectu principalis agentis, sed vel hoc modo, vel quia instrumentum secundum id quod est sibi proprium, determinat actionem principalis agentis; quæ determinatio reduci potest ad genus cause materialis seu dispositivæ: quo modo phantasma

Ss deter-

De substantia quamvis creata probatur.

II.

III.